

ægrotantes, quale exemplum recenset *Thomas Reunesius epistola 44.* item *Hildanus Cent. II. obs. ii.* Spectat huc quoque singularis observatio, quam ex communicatione *Excellentissimi Dn. Doctoris Stablii Professoris* *bujus Academie celeberrimi* habeo nempe: Vir sexaginta duorum annorum, Gonagrico Pathemate in finistro genu, ab aliquot retro annis per vices infestatus, diætæ per plures annos vinosæ, habitus corporis sanguinei leuiter phlegmatici, ex usu largiore generosi vi ni Thuringici, & insuper facto in Rhedâ itinere, tempore autumnali, corriptur Ischuriâ, cum dolore sinistri lumbi, & coxae ados sacrum gravativo: Mingit magnam copiam sanguinis, partim floridi partim coagulati in magnos grumos. Sedatur hæc initio multo consilio & arte: post paucas septimanas fluit nonnihil ex hæmorrhoidibus, sed caret sufficiente successu molimen, levatur tamen sensibiliter à gravativo dolore, & lasitudine tensivâ in artubus. Post annum recrudescit malum in renibus, occupatur adstringentibus, accedit febris acuta, fit translatio inflammatoria ad fauces, enascitur gangræneodes, corruptio linguae & faucium, moritur.

X.

Porrò spectat huc quoque singularis casus à *Magnifico Domino Præside* notatus, nimirum Generosus vir 45. annorum temperamenti sanguineo melancholici, aulicæ vitæ deditus, assuetus victui duriori, vino liberalius utens, lumborum dolore vexatus, in hæmorrhoidalem fluxum incidit, quo ipse dolor sensim conquiescit. Post 4. annos cessantibus hæmorrhoidibus & omissa ex consilio Medici venæsectione, cui alias assuetus erat, dictæ